





1789, 16.

SVPER

IVRE PRIMARIARVM PRECVM  
EIVSQVE EXERCITIO 867

SPECIMEN SECVNDVM

QVOD

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRO SVMMIS

IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

OBTINENDIS

A. D. VII. MAII. A. C. CIOCCCLXXXIX.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

IOHANNES GODOFREDVS MVELLER

ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER ET IVRIS  
VTRIVSQVE BACCALAVREVS

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

Handwritten text on the left margin: *De iure primariorum part. II.*



IVRE PRIMARIARVM PRINCIPVM  
EIVSQVE EXPLICITIO  
SPECIMEN SCRIPTURAE

AVCTORITATE  
CLAVDII IVLII TRISCVLVIORVM OPTIMI  
PRO SVMMIS  
IN VITROQVE IVLE HONORIBVS

OPTIMISSIMO  
A. M. D. C. LXXIIII  
D. E. C.  
D. E. C. D. E. F.  
IOHANNES GODOFRIDVS WÄLLER  
A. M. D. C. LXXIIII  
VITROQVE IVLE HONORIBVS

FINIS  
ET DEPOSITA SCRIPTURAE





**I**uris primariorum precum eiusque exercitii historiam, quam mensibus aliquot ante, cum vix prima stamina contexuissem, in primordiis statim interruptam reliqui, nunc, noua scribendi occasione oblata, continuare tentaturus, non habeo, cui vt praefandi causa vel momentum immorer, neesse ducam. Quicquid enim alias de ratione instituti praemoneri, mos est, id, quoniam sub initium primi Speciminis profusus a me iam expositum exstat, denuo hoc loco emertiri, prorsus a re foret alienum. Enimuero animo quaedam occurrunt, quae ad ipsum illud Specimen breuiter hic notare licebit. Memini scilicet, me ibidem *a)* Imperatorum a iure Regalium abdicacionem ad Fridericum II. retulisse. Quod cum fide diplomatica pronunciauerim; haud quidem me errasse, existimo. At simul tamen libenter confiteor, eo me paullulum in memetipsum et historicam veritatem peccasse, quod, cum duo Ottonis IV. diplomata mihi scribenti ad manus essent, quorum altero *b)* Imperator ille iuri Regalium in fauorem Archiepiscopatus Magdeburgensis renunciauit, altero *c)* vero, quo

A 2

formula

*a)* §. VI.

*b)* Exstat apud MELBOMIUM *Scriptor. Rer. Germanic.* Tom. III. in EIVSDEM *Apologia pro Diu. Imp. Caes. Ottonis IV.* p. 127 seq.

*c)* Apud SCHATENIUM *Annal. Paderbornens.* Part. I. Lib. X. p. 956. et ex eo apud HEINECCIUM et LEVCKFELDIUM *Scriptor. Rer. Germanicar.* ibique in HEINECCIUM *Anti-*



formula iurisiurandi, Innocentio III. Pontifici Romae ab eo praestiti, continetur, idem ius cunctis Germaniae Ecclesiis remisit, errore oblivionis seductus utrumque secum inuicem permutauerim, animumque ad diploma posterius haud attenderim. Licet autem verissimum sit, non Fridericum demum II. sed iam Ottonem IV. sese a iure Regalium abdicasse; iudicii tamen, quod super loco CONRADI VRSPERGENSIS ferendum videbatur, ne nunc quidem me poenitet, quandoquidem, diploma istud anno, ad quem locus CONRADI pertinet, recentius esse, dubio caret. Etenim narrat CONRADVS, Ottonem illum, partibus Rheni peragratis, in Sueniam ingressum comites et principes, qui ad ipsum venerant, rebus et verbis inhonestasse, feudaque ecclesiastica, a Philippo antea possessa, sibi arrogare voluisse; hisque deinde statim ea subnectit verba, quae cum lectore illic a me communicata reperiuntur. Hacce vero peragrata demum peracta, Otto Romam profectus, Innocentio III. praestitit iurisiurandum, quod in diplomate laudato proponitur. Quemadmodum autem veritas exigebat, ut errorem oblivionis emendarem; ita etiam meum utique esse arbitror, ut, quoniam ibidem lucubrationes peculiare, quibus viri docti ius primarum precum illustrare conati sunt, recensere inceperam, indicem laborum eruditorum suppleturus, nomina et scripta eorum, quos, ignarus quippe, omiseram, hoc loco subiungam. Digni itaque videntur L. B. AB ICKSTAT T d) atque DÛRRIVS e), quibus locus aliquis inter eos relinquatur, qui Caesareo iuri primarum precum

*Antiquitat. Goslariens.* Lib. II, ad ann. 1210 et 1211. p. 210. Habet id et LÛNIGIVS in *Spicileg. Ecclesiast. des Teutschen Reichs - Archivs*, Part. I. p. 167.

d) PETR. AB ICKSTAT T in *Diff. de Caesareo primarum precum iure*, Ingolst. 1765. apud SCHMIDT.

*Theaur. Iuris Ecclesiast.* Tom. V. n. V. p. 229 seqq.

e) FRANCISC. ANTONIVS DÛRRIVS in *Diff. de beneficio ecclesiastico auctoritate Episcopali legitime permutato, ad effectum precum primarum Imperialium haud vacante*, Mogunt. 1773. apud SCHMIDT. *Theaur.*

precum explicando operas suas dicarunt. Neque reticenda sunt, quae NETTELBLADTIVS *f*), praeter quaestiones de iure primariarum precum motas et ab ipso discussas, postea seorsum de rationibus exposuit, ex quibus iuris illius in foundationibus mediatis exercitium Imperii Principibus recte vindicari queat. Ad numerum denique illorum, quos precibus vxorum Ordinum Imperii primariis inprimis occupatos fuisse, nouimus, recens accessit GLÜCKIVS *g*), qui, posteaquam primas precum Caesarearum origines breuissimus repetierat, ad natales precum earum, quae vxoribus Ordinum Imperii asseruntur, descendens, cum, quae aliis placuerant, leuiter tetigit, tum de eo, quod sibi metipso videbatur, pauca disseruit. Nihil autem scripta ista prae se ferunt, quo impediatur, quominus sententiae, de fundamento et natalibus iuris primariarum precum Caesarei nuper a me enunciatae, firmus adhuc adhaeream. Vnde haud est, quod vicissitudines, quas idem ius, ab Imperatoribus exercitum, post Rudolphum Habsburgicum, qui, vt hoc obiter addam, praeter preces primarias iam commemoratas *b*), alias *i*) quoque pro familiari quodam ad collatorem anonymum repetiit, sortitum est, antiquioribus fati annexere amplius morer.

## A 3

## HISTO-

*Theaur.* laudat. Tom. V. n. VI. p. 273 seqq.

*f*) DAN. NETTELBLADTIVS in *Abhandlung von den wahren Gründen des Rechts der ersten Bitte der Landesherren bey den mittelbaren Stiftern in ihren Ländern.*

*g*) CHRISTI, FRIDER. GLÜCKIVS in *Oratione de iuris primariarum precum originibus, in specie quatenus illud celsissimis quoque Principum Ordinumque Imperii vxoribus competat, anno MDCCCLXXXVIII. habita; apud EVNDEM in Opuscul. Iuridic. Fascic. III. Caeterum quod*

BRANDII libellum attinet, cuius in Specim. primo p. 5. not. f. mentionem feci, eiusdem nomine insignita *Disf. de iure Caesareo primarum precum.* Wirceb. 1749. apud SCHMIDT. in *Thef.* cit. Tom. V. n. IV. p. 112 seqq. prostat.

*b*) Specim. I. §. IX.

*i*) Docent id literae precum exhibitae a WÜRDTWEIN. in *Subsid. Diplomatic.* Tom. XII. p. 101. ex S. R. I. Principis et Abbatis MARTIN. GERBERTI *Codice Epistolari Rudolphi I. Rom. Regis.* p. 59.

---

HISTORIAE  
IVRIS PRIMARIARVM PRECVM IMPERIA-  
LIS EIVSQVE EXERCITII CONTINVATIO.

§. X.

*Sub Alberto I.*

**E**nimvero quamvis series Imperatorum Germaniae iubeat, ut ab Adolpho Nassouienſi, qui Rudolpho Habsburgico proximus res Germanicas moderatus eſt, fermo exordiat; literae tamen precum, quotcunq; denuſ dederit, omnes in ſcriniis Eccleſiarum tam alte abſconditae latent, ut ne minima quidem de ipſis ſuſpicio in vulgus emanare poterit. Quapropter ſi vel maxime inſiciari non auſim, ius illud, cuius crebrior conſtansque per imperium Rudolphi uſus viridi adhuc memoria tenebatur, ab Adolpho quoque, licet auctoritate et granitate huic ſuo antecellori omnino impar regnaret, pluries exercitum eſſe; certe tamen, ut coniecturis inanibus mens diutius affigatur, nec utilitas ſuadere, nec indoli hitoriae congruere videtur. Ad filium igitur Rudolphi, ad quem poſt obitum Adolphi dignitas Imperialis delata eſt, Albertum I. deuenientes, multa quidem obuia habemus documenta, vnde induſtriam eius, iure illo, quod a patre ſumma cum vigilantia conſeruatum receperat, obſeruando conſpiciam, edoceamur. Sed ea ipſa ſimul manifeſto produnt, preces ſuas primarias ipſi haud proſpere ceſſiſſe. Simplici enim duntaxat vice, ad Capitulum nempe Eccleſiae Aquisgranenſis, pro Tilmanno, viro nobili de Landſkrone, in Colle-



Collegium Canonorum cooptando, preces in Epistola a) de anno MCCCII. b) direxit, his verbis vtendo: *Pro honesto viro Tilmanno, fratre Sirenni viri. Burgravi de Landskrone, Clerico, Deuoto nostro dilecto, vobis fiducialiter offerimus Preces nostras. Deuotionem vestram rogantes plenissimo cum affectu, exaudiri que ex intimis affectantes, quantum eundem Tilmannum in vestrum recipiatis Canonicum et in fratrem, de Prebenda sibi, si qua ad presens in vestra vacat Ecclesia, vel quam primum ad id se facultas obtulerit, libenter et liberaliter prouisuri. Vt proinde nos ad omnia, que vestre ac Ecclesie vestre utilitatis et honoris respicere poterunt incrementa, inueniamur semper faciles et vltro*

*com-*

a) Apud DE GVDENVS Codic. Diplomat. Tom. II. n. LI. p. 984. et L. B. DE SENKENBERG in Tract. de iure primarum precum. Codic. Probationum. Adiunct. IX.

b) Obiter hic animaduertere licet, nobilem DE GVDENVS Codici suo Diplomatico sex Epistolas, quae preces primarias Alberti I, ad Capitulum Aquisgranense directas, continent, ex Autographis membranaceis Armariorum Landsronensium inseruissse. Sed tribus earum alios annos, quam quibus vere date sunt, adscripsit, ideoque eas haud iusto ordine deinceps posuit: quem postea L. B. DE SENKENBERG, in eundem incidens errorem, in Codice Probationum fecutus est. Etenim si modo DE GVDENVS annos Regni Alberti, quos vbique in subscriptione Epistolarum additos videmus, paullo accuratius attendisset, ac insuper mensis Augusti anni MCCXCVIII. quo Albertus electus est atque coronatus, meminisset; facili certe negotio quemlibet annum

Regni subscriptum ad annos Aerae Christianae genuinos referre potuisset. Ac primo quidem loco, vt HAEBERLINVS in *der neuen Allgemeinen Weltbistorie* Tom. VIII. Per. 7. Abschnitt 2. p. 355. not. f. bene obseruauit, collocanda est Epistola sub n. LI. cuius datum: *XI. Kal. Nouembris. Regni nostri anno quinto*, indicat d. 22. Oct. 1302. Secundo loco Epistola sub n. LIII. cuius datum: *III. Non. Nouembris. Regni nostri anno quinto*, congruit cum d. 2. Nou. 1302. Tertio loco Epistola sub n. L. data: *Idus Martii. Regni nostri anno quinto*, qui est dies 15. Mart. 1303. Quarto loco Epistola sub n. LV. cuius dies, qui est *III. Non. Aprilis. Regni nostri anno septimo*, incidit in diem 2. April. 1305. Quinto loco Epistola sub n. LXII. data: *XI. Kal. Decembris. Regni nostri anno octauo*, qui dies respondet diei 21. Nou. 1305. Sexto denique loco Epistola sub n. LVIII. cuius datum: *VIII. Kal. Augusti. Regni nostri anno octauo*, cadit in diem 25. Iul. 1306.

comprobemur. Verum easdem postea preces in quinque Epistolis, ad idem Capitulum datis, repetiit; quarum quidem alteram c), quam anno sequenti scripsit, potissimum commemorare licebit ita concepitam: *Quemadmodum alias vobis super receptione Honor. . viri Dieterici d) de Lantzkrone Deuoti nostri dilecti scripsisse meminimus; sic nunc repetitis vicibus Deuotionem vestram affectuosa precum instancia requirimus et rogamus, quatenus eundem Dieter. pro nostra et Imperii dilectione ac reuerencia recipiatis liberaliter in Canonicum et in fratrem: Prebendam, si qua ad presens in vestra vacat ecclesia, assignantes eidem, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas; sic, quod in persona ipsius D. nostra serenitas se sentiat honorari.* Quarum cum vtraque iisdem fere verbis conscripta reperiatur, quae ceterae epistolae omnes, si modo ab vna discesseris, prae se ferunt; dubius sane relinquitur, num audaciam viresque, quibus collatores praebendae Aquisgranenses per integrum quadriennium preces Alberti eluserunt, an lenitatem verborum, qua Imperator in literis precum suarum vsus est, ipsiusque patientiam ac potestatem admodum exiguam magis mirari oporteat.

c) Apud DE GVDENVS I. c. n. L. p. 983. et DE SENKENBERG I. c. Ad. VIII.

d) Nomen praestitae Caesarei a nomine eius, pro quo Albertus in Epistola praecedenti preces direxerat primarias, diuersum, monere videtur, duos ab eo Candidatos Capitulo Aquisgranensi eodem tempore oblatos esse. Quoniam vero reliquae quinque Epistolae haud aliud quam Tilmanni nomen exhibent, ac ipse Alberti pater Rudolphus in diplomate de anno MCCLXXIII. confessus erat, quod pro antiqua consuetudine non nisi vnus beneficii ecclesiastici prouiso collato-

ribus ordinariis a singulis Germaniae Imperatoribus et Regibus iniungi queat; satis apparet, eandem personam nominibus diuersis latere. Neque eiusmodi nominum permutatio aetate illa omnino vsu caruit, siquidem, quantum ex collatione Chartarum sub n. XVII. p. 944 seq. n. XXIV. p. 953. et n. XLIII. p. 975. apud DE GVDENVS I. c. Tom. II. colligere licet, *Theodoricus* et *Tilmannus* de *Landscron* vnam eandemque faciunt personam, Confer. *Schema Genealogicum Familiae Burggaurorum de Landscron*, ibidem p. 1358. a) Tab. I. adiunctum.

teat. Quodsi enim quinque Epistolas priores intueamur, nec antiquae consuetudinis, qua Rudolphus Habsburgicus preces suas primarias communire consueverat, nec iuris inde enati mentionem in iis factam deprehendimus. Ad quae quidem non prius prouocauit, quam haec nimia rei indignitas tantum ceperat incrementi, ut animus eius, ira excandescens, in istas tandem minas erumperet: *Vltimis precum nostrarum affectibus moti indignationis spiritu vestram inobedienciam et rebellionem duximus commonendam, quatinus Nobis et Sacro Romano Imperio ius debitum, quod ex Primariis precibus nostris nobis competere ex antiqua et approbata consuetudine dignoscitur, obseruantes, Honestum virum Thilmannum de Landechrone Clericum, Deuotum nostrum dilectum, pro quo vobis multiplicatis vicibus sudimus primarias preces nostras, saltem adhuc in vestrum recipientes Concanonicum et confratrem, sibi prouideatis de Prebenda, si in vestra ecclesia vacat ad presens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas. Alioquin scire poteritis, quod contemptum librabimus pro contentu; et nichilominus vias et modos excogitabimus, per quos hoc, quod petimus, ordinare vos contingat e). Enimuero vtra pars, Capitulum, an Imperator, superior tandem remanserit, id, si, quae relata sunt, attentius perpendamus, facile quidem diiudicatu videtur; sed, deficientibus quippe documentis, certi quid de eo effari haud licebit. Neque vero alii collatores beneficiorum ecclesiasticorum ordinarii sese faciliores gesserunt precibus primariis, quas Albertus, utpote ex nouitate iocunde creationis sibi competentes, primo statim Imperii sui anno Wicboldo, Archiepiscopo Coloniensi, per Dioecesin suam dirigendas commisit. Extant enim Literae f) eius ad Wicboldum, ubi, posteaquam et pristinae precum*

e) Apud DE GVDENVS l. c. Tom. II. n. LVIII. p. 989. et DE SENKENBERG. l. c. Adi. XII.

f) Ex HARTZHEMIO apud DE SENKENBERG l. c. Adi. XIV. et WÜRDTEIN. in *Subsid. Diplomatic.* Tom. II. n. II. b.

primariarum concessionis, et contumaciae, qua collatores Archiepiscopo, ius illud nomine Imperatoris exercenti, resisterant, mentionem iniecerat, eandem facultatem denuo confirmavit, eumque, ut ubi preces in posterum locum obtinerent, pro viribus eas exequi iussit, dum: *Nequeutes igitur, ait, propter aliquorum pertinaciam ius nostrum et Imperii pretermittere, tue damus sinceritati sub obtentu gratie nostrae auctoritate Regia in Mandatis, quatenus tam auctoritate tua ordinaria, quam nobis pro iuribus nostris et Imperii conseruandis petimus imperitari, quam etiam Auctoritate Regia, ut singulas Ecclesias, collegia, personasque seculares g) tue ciuitatis et dioecesis se nostris precibus iure fultis contumaciter, ut premittitur, opposentes, viis et modis, quibus earum videaris fore pertinaciam facilius refringendam, compellas et inducas, ut preces nostras primarias per te ipsis vice nostra directas et dirigendas sine quouis contradictionis obstaculo cum ea deuotionis promptitudine, qua condecet, studeant adimplere, ne ius nostrum et Imperii tue fidelitati et executioni recommissum vllatenus negligatur.*

## §. XI.

*Sub Henrico VII. Ludouico Bauaro et Friderico Austriaco.*

Num Henrici VII. Alberti I. successoris, preces primariae similem, an meliorem subierint sortem, id, quia precum ipsius plane sumus ignari,

g) Rectius fortasse legendum: *singulares*, quod congruit verbis, quae praecedunt: *Meminit nostra Serenitas, nos pridem personam tuam speciali prerogatiua et gratia preueniendo primarias nostras preces in ciuitate et Dioecesi tua — tibi pro iuris Clericis et deuotis auctoritate Regia porrigendas commississe, et, ut de nouo nostrae innotuit celsitudini, nonnullae*

*Ecclesiae et Collegia, ac etiam persone singulares, quibus preces nostras antedictas porrigis, tibi in hac parte, imo nobis et iuri Imperii contumaciter se opponunt. Quae lectio si praeferatur, ex his literis primum discimus, preces primarias non ad collegia tantum, sed ad singulares etiam collatores illo tempore directas esse.*

ignari, decidere haud sustinemus. Nolim tamen cum eo pugnare, qui, hunc quoque Imperatorem iure illo antiquo usum esse, verissimilius existimauerit. Desunt enim rationes, cur in contrariam potius sententiam discedere amem. Imo duo a L. B. DE SENKENBERG *b)* in medium collata esse video argumenta, quibus usum precum primariarum sub Henrico VII. comprobare tentauit. Sed admodum vereor, ut arideant eis, qui de hoc usu plene sibi persuadere cupiunt. Est enim negari nequeat, ANDREAM, Speculi DVRANDI Glossatorem, de precibus primariis Henrici VII. cui coaeuus extitit, optime testari valuisse; verba tamen, quibus SENKENBERGIVS precum illarum testimonium inesse opinatur, ab ANDREA, ita scribente: *Et aduerte, quod istud privilegium (quod scilicet a Romano Pontifice Imperatori concessum esse, DVRANDVS perhibuerat) Imperatori non dat collationem, sed potestatem faciendi recipi. unde solent dici tales recepti ad primarias preces Imperatoris i)*, tam late concepta sunt, ut, qui ad certum aliquem Imperatorem ea referre voluerit, licito plus sibi metipsum indulserit. Minus ambigua fortasse verba sunt, quibus Ludovicus Bauarus Petro, Archiepiscopo Moguntino, cuius potissimum auspiciis sperabat fore, ut ad summum Imperii fastigium eueheretur, potestatem precum primariarum, per Dioecesin Moguntinam vice Caesarea dirigendarum, promisit: *Item, inquit, promittimus, quod prefato D. Archiepiscopo, si in Regem Romanorum eligemur, commitemus vices nostras, dando sibi potestatem porrigendi Primarias preces nostras vice et nomine nostro in singulis Ecclesiis, Maiori, et aliis — Collegiatis et Conuentalibus, Ciuitatis et Dioecesis Maguntine pro personis inibi recipiendis, sicut hoc haecenus laudabiliter est consue-*


B 2

tum,

*b)* In Tractat. *Ius primarum precum* etc. §. XXV.

*i)* IO. ANDREAS ad DVRAND-

DI *Speculum Iuris*. Lib. IV. Partic. III. Tit. de Praebend. et dignitat. §. 2. n. 7. gloss. h. p. 209. edit. Basil. de anno 1574.



tum, prout sibi videbitur expedire k). Illa enim: *sicut hoc habemus laudabiliter est consuetum*, siue de facilitate intelligantur, qua collatores ante aeuum Ludouici Bauari preces Imperatorum admiserint, siue id moris antea fuisse arguant, vt iidem Imperatores ius illud in Dioecesi Moguntina per Archiepiscopum exercerent; nullus tamen SENKENBERGIVS dubitat, quin iisdem exercitium precum primariorum, ad Ludouicum Bauarum vsque continuatum, ideoque simul preces Henrici VII. tacite indicatae fuerint. Enimvero, num horum verborum auctor, dum vocem *habemus* adderet, de continua annorum serie necessario apud animum cogitauerit, id, me quidem iudice, haud omnino euictum videtur. Saluus forte verborum sensus relinquitur, etiam si, exercitium precum Caesarearum sub Henrico in Dioecesi Moguntina, de qua sola ibi sermo est, interruptum esse, credideris. Ipse autem Ludouicus cum deinde a parte Principum Imperii, auxilio in primis Archiepiscoporum Moguntini et Treuirensis, Rex Romanorum electus sit, ac non multo post coronam per solennem inauagationem acceperit; procul dubio id, quod Petro, Ecclesiae Moguntinae Praefuli, antea promiserat, eidem post electionem praestitit. Sed nec id facile aliquis mirabitur, quod eodem tempore Balduino quoque, Archiepiscopo Treuirensi, ab ipso eadem potestas concessa sit. Quidni enim et huic donum istud tanquam gratissimum arriserit, quod Petro tanti visum erat, vt sibi suffragii atque fauoris sui praemium a Ludouico stipularetur? Atque maiorem adeo gratiam Balduinus a Caesare acceptam tulit. Permisit enim Ludouicus, vt ab ipso preces primariae Imperiales non solum per totam Dioecesin Treuirensis, sed in quibusdam etiam Ecclesiis extraneis exercerentur. Testis gratiae istius est

k) Vid. Ludouici, Bauariae Ducis, in Regem Romanorum iam iam eligendi, Articuli secreti, quibus sese abstrinxit Moguntino Archiepiscopo, de anno

MCCCXIV, apud DE GVDENVS Codic. Diplomat. Tom. III. n. LXXIX. p. 97.

est diploma de anno MCCCXIV, ab HONTHEIMIO 1) in lucem protractum, vbi inter alia haec leguntur: *Concedimus eidem, quod ipse preces primarias regales et imperiales per omnes ecclesias cathedrales, collegiatas et conuentuales suarum ciuitatis, dioecesis et prouincie porrigere valeat auctoritate regali et imperiali. Et ulterius quod ipse extra suas predictas ciuitatem, dioecsim et prouinciam per primarias preces regales et imperiales conferre valeat prebendas Aquenses, Traiectenses, Spirenenses et Leodienses.*

§. XII.

Quemadmodum autem duplici hac concessione satis cautum videbatur, ne ius precum primariorum, quod forte ab vsu paullulum recesserat, totum obliuioni daretur; ita ipsi etiam Ludouico sacrae curae fuit, vt memoria Exercitii eius vbique reuiuiceret, ac in omnibus Germaniae ecclesiis integra atque viridis ad quosuis collatores beneficiorum ecclesiasticorum, olim exituros, propagaretur. Etenim quamquam in ipsis Ludouici diplomatibus, quae manu admodum parca edita sunt, tres tantum Ecclesiae nominantur, ad quas ab eo datae sunt preces; incolumis tamen superest index collatorum et precistarum, quorum abundantia vsum iuris primariorum precum, sub Ludouico frequentissimum, euincit. Ac eadem fere stili ratio, quae in formulis precum Rudolphinis obtinuerat, in Ludouici quoque diplomatibus obseruata deprehenditur. Sed animaduertere licebit, quod Imperator iste in Literis precum primariorum, quas Romae anno MCCCXXVIII.

B 3

dedit

1) In *Historia Treuirensi Diplomatica et Pragmatica*. T. II. n. DCXIV. p. 90. ex quo Opere SENKENBER-

GIUS I. c. *Codici Probationum* sub Adi. XV. inseruit.

dedit m), non solum expressa voce ad *ius* prouocauerit, cuius in literis precum Alberti nulla mentio facta est, verum insuper etiam coronationem, breui ante in vrbe Roma celebratam, commemorauerit: *Sic, aiens, haecenus de iure et approbata consuetudine Sacri Imperii est seruatum, quod Rom. Imperatores postquam Rome sacras ac Imperiales Insulas receperint, ex coronationis ipsorum sollempniis in singulis Ecclesiis super vnus personae idoneae prouisione habeant petere cum promptitudine qualibet exaudiri.* Praeter haec ipsis partim formulis Ludouicianis, partim indici precum eius primariarum multa alia insunt, quae ad iuris huius doctrinam, cuius prima elementa in literis Rudolphi Habsburgici suppeditata accepimus, vberius illustrandam et amplificandam conferunt. Etenim nouimus quidem, Rudolphum precum primariarum potestatem in omnibus Ecclesiis, quotuncunq; earum Imperii Germanici terrae complecterentur, exercendam sibi asseruisse. At quaenam minorum beneficiorum ecclesiasticorum, certane duntaxat eorum species, an cuncta, precibus Caesaris obnoxia fuerint, id, si ope literarum precum primariarum, Ludouicianis antiquiorum, edoceri cupimus, frustra sane eas consulimus, quippe quae omnes nonnisi praebendarum Canonicalium petitionem prae se ferunt. Quodsi vero indicem precum Ludouici n) inspiciamus; indolem beneficiorum, de quibus saltem Imperator iste precistis suis prouideri voluit, his quidem exemplis multo strictius insignitam, cognoscimus: *Item Preposito in Northusen pro Hermanno filio Joannis dicti Schalel pro beneficio curato. Item Preposito Decano totique Capitulo Ecclesie in Dursla Magunt. Dioc.*  
*pro*

m) Apud WÜRDTEIN. *Subsid. Diplomatic.* Tom. XII. p. 110.

n) Inscribitur: *Libellus primariarum Precum et Alimontiarum a Ludouico Caes. collatasque anno Christi MCCCXXII. regni IX. ex Regeſto Ber-*

*tholdi de Tutlingen Notarii Regii de promptus, apud OEFELIVM Rer. Boicar. Scriptor.* Tom. I. p. 735 seqq. et ex hoc apud WÜRDTEIN. *Subsid. Diplomatic.* Tom. II. p. 8. seqq.



pro Magistro joanne de Heylingsstat rectore scholarum in Mulb. pro Canonatu et prebenda. Item Proepisto Decano et Capitulo Gurnacensis Ecclesie Salzburgens. Dioc. Henrico Subdyacono pro Canonatu. Item Abbati et Conuentui S. Petri Erfordie ord. S. Benedicti Moguntin. Dioc. pro Rud. filio Rudolphi de Northusen Aduocato Domini Moguntini pro monachatu et prebenda. Item Abbati et Conuentui in Plabüren Constant. Dioc. pro Vlrico de Plincheim Clerico pro monachatu. Item Abbatisse et Conuentui in Deurbach pro Kataryna filia Magistri Chunnradi Gundersingerii pro monachatu et prebenda. Item Priorisse in Weizenburch Spir. Dioc. pro Susanna filia Henrici de Oterpach pro monachatu. Nul- lum enim exhinc patet discrimen habitum esse beneficiorum. Quin- potius a Ludouico collatoribus iniunctum, vt, cuiuscunque generis beneficia essent, siue curam animarum simul sibi annexam haberent, siue ea carerent, siue vitam regulis monasticis adstrictam requirerent, siue liberiolem duroque illarum vinculo solutam admitterent, precisis Im- perialibus conferrent, ac de regularibus quidem beneficiis non solum maribus sed feminis etiam precisis prouiderent o).

## §. XIII.

o) Cum in recentioribus precum primariorum Imperialium formulis beneficia curata et non curata aequae, ac regularia et secularia, precibus illi subiecta esse dicerentur; multi iuris huius interpretes passim exirere, qui beneficiorum illorum catalogum cautius discuterent, et, quanam eorum, inuitis adeo Imperatoribus, eximi oporteret, desinirent. Atque, quin monachus precibus subesse possent, in dubium saltem vocauit AYRERVS in Commentat. *Ius primar. precum* Cap. VI. §. I. cui assensus postea est BRANDIVS in Diss. *de iure Caesareo primar. prec.* Cap. V. §. VI. vbi Cap. eod. §. IV. id ipsum de beneficiis euratatis statuendum esse contendit. At

hanc AYRERI et BRANDII sententiam vsu, qui sub Ludouico obtinuit, haud comprobari, id, quod et L. B. AB ICKSTATT in Diss. *de Caesareo primariorum precum iure* §. LIII. et LIV. iam obseruauit, exempla laudata abunde demonstrant. Neque obest, quod quis forte opponat, preces haudquaquam a Ludouico vere datas esse ad omnes collatores, quorum nomina in Libello illo precum primariorum legantur. Nam si vel maxime id concesseris, nequaquam tamen negari poterit, ex ipso hoc Libello elucere, quod Imperator de potestate eiusmodi beneficia expetendi plane sibi ha- buerit persuasum.

Neque vero memoratu indigna habenda sunt documenta, quibus duo, eaque omnium antiquissima referuntur exempla precum, quas ab eodem Imperatore pro duabus personis ad eosdem collatores directas esse, meminimus. Cuius rei rationes si cognoscere cupimus, altera quidem renunciatione primi precisae innititur, quemadmodum id Ludovicus ipse in diplomate precum suarum ad Capitulum Ecclesiae St. Bartholomaei Francofordienfis *p)* verbis admodum claris exponit: *Meminimus nos iam dudum pro discreto Heilmanno dicto Klobelauch vobis ratione creacionis nostre Imperatorie porrexisse primarias preces nostras, que cum in persona ipsius non sint exaudite nec admisse et coram nobis renunciauerit dictis primariis precibus nostris et iure sibi ex ipsis acquisito, ne iura nostra et Imperii negligere videamur, qui ex officio administrationis desuper nobis tradite alios debemus in sua iusticia confouere, preces easdem in personam discreti Heilmanni dicti Welder nobis dilecti pleno iure duximus conuertendas, Deuocionem vestram attente requirentes et hortantes, quatinus eundem Heilmannum Welder, cuius promotionem sincero diligimus ex affectu ob iura et primariarum precum nostrarum reuerenciam in vestrum et Ecclesie vestre recipiatis Canonicum et Confratrem.* Sed quae ratio eundem Imperatorem permouerit, vt ad Ecclesiam Wimpinensem, cui preces suas iam ante, quam expeditionem Romanam susceperat, pro Conrado, Eberhardi Comitis de Wirtemberg Notario, obtulerat *q)*, post coronationem preces secundas pro

Gerhardo

*p)* Apud WÜRDTWEIN. I. c. Tom. II. n. III. vbi idem testatur, autographum diplomatis adhuc in Ecclesia Collegiata S. Bartholomaei Francofordiensis asseruari; ex WÜRDTWEINIO autem recepit SENKENBERG. I. c. Adi. XVI.

*q)* Exhibet WÜRDTWEINIUS in *Subsid. Diplom.* Tom. XII. p. 109. Epistolam Eberhardi Comitis de Wirtemberg ad Capitulum Ecclesiae Wimpinensis, qua precum Ludouici pro Conrado, eiusdem Comitis Notario, ad Ecclesiam illam directarum mentio iniicit.

Gerhardo de Erenberg dirigeret, r) ipse penitus reticuit. Quapropter, si quid in re perquam obscura tentari, fas est, rationem inde deriuandam esse, coniecerim, quod forte Ludovicus eam iuris illius suo sibi animo conceperit virtutem esse, vt et Regi Romanorum et Imperatori proprium esset, ideoque a se, qui solenni inauguratione Romana coronam Imperialem adeptus fuerit, in iisdem Ecclesiis, ad quas antea tanquam Rex Romanorum preces primarias dedisset, denuo exerceri posset. Cui quidem coniecturae haud parum subuenire videtur diuersitas stili, qui inter literas precum, diuerso tempore datas, manifesto intercedit. Posteaquam enim coronatus erat, precum dirigendarum potestatem *ex coronationis sollemnibus* sibi attribuit, cum eandem antea *ratione creationis Imperatorie*, siue, vt in aliis literis precum s) legitur, *ratione creationis regie* sibi vindicasset. Sed licet haec ita sint, nolo tamen coniecturae huic animo nimis tenaci inhaerere. Etenim facile mihi persuadeo, nec eum a vero multum aberrare, qui preces priores contendat vel morte precistae vel simul contumacia collatorum interceptas, atque sic precibus secundis, ad eosdem collatores dirigendis, locum relictum esse. t) Ac de contumacia illorum eo minus dubitare licet,

quo

iniicitur. Tempus autem, quo datae sunt, in annum MCCCXXII. incidisse, ex Libello precum primariarum, antea indicato, discimus, vbi numero precum de hoc anno illas etiam his verbis additas legimus: *Item Preposito Decano et Capitulo Wymptinensi pro Chunrado nazarario Comitis Eberhardi de Wirtenberg pro Canoniatu et prebenda.*

r) Harum precum literas de anno MCCCXXVIII. vide apud WÜRDWEINIVM l. c. Tom. XII. p. 110.

s) Apud eundem WÜRDWEINIVM l. c. Tom. XII. p. 112.

t) Caeterum si tanti videatur, ex eodem Libello, qui aliquoties commemoratus est, colligere licet, a Ludovico eidem personae preces ad duo simul Capitula concessas esse,

C

quo certius est testimonium, quod ipse Imperator de sorte nouarum precum suarum haud prosperiore perhibet, dum in collatores, quibus grauius succenset, in hunc modum inuehitur: *Ob id, quod in nostrum contemptum et Sacri Romani Imperii iniuriam primarias preces nostras, quas pro Gerharo de Erenberg Clerico nostro nobis dilecto vobis porreximus cum effectu exaudiri non curastis, nostre Celsitudini non immerito displicetis, pro firmo tenentes, quod nisi preces nostras, moram et negligentiam vestram in hoc purgando, celeriter admittatis, Vos ad id compelli faciemus remediis opportunis et taliter contra vos procedi, quod poena docente cognoscetis, quam grauius contra nostram maiestatem et Sacrum Romanum Imperium excessistis. u)* Sed cum harum minarum euentus ignoretur, neque, quod de exercitio iuris precum primariarum sub Ludovico moneatur, quicquam amplius supersit, nisi quod e Secreto Article, supra inserto, satis tuto colligi queat, non solum Collegia, verum *singulares etiam personas*, siue collatores, sub initium imperii Ludovici preces Imperiales admittendi necessitate constrictos fuisse; ad Fridericum Austriacum transeo. Verum preces ipsius, utpote rarissimae, admodum paucis poterunt absolui. Namque, quantum quidem fide diplomatica scimus, preces primarias non nisi simplici vice, easque extra Germaniam, x) ad Capitulum nempe Ecclesiae Veronen-

siquidem haec ibi inter alia notantur: *Item Decano et Capitulo S. Sebastiani in Magdeburg pro Chunrado Notario Domini de Anhalt pro prebenda et Canoniaru;* quibus statim subiiciuntur: *Item Decano et Capitulo in Zerbst pro eodem Chunrado pro Canoniaru et prebenda.*

u) Vid. WÜRDTEINIVM I. c. Tom. XII. p. III.

x) Alia precum Imperialium, ad Ecclesias Italiae directarum, exempla sunt preces Ludovici, quas Libellus, pluries laudatus, continet: *Item ad Ecclesiam Paduanam Ortoni dicto Lang Recto-*


nensis ea mente dedit, vt ab eo Magister Ioannes de Verona, qui fratris Leopoldi, Austriae Ducis, Physicus domesticus erat, inter Canonicos reciperetur. Sed Capitulum illud precibus Friderici nec primis nec postea repetitis obtemperauit, Quod cum grauissime ille accepisset, tertiam statim Epistolam y) ad Capitulum misit, qua mentem suam indignabundam ita explicuit: *Cum nobis ad memoriam reducitur, et in nostra praesentia ventilatur vestrae proteruitiae obstinatae elationis materia, ammiratio simul et indignatio se in mentis nostrae secretario commiscentes, Regiam elementiam in ulciscentem iracundiam non immerito prouocarent, pro eo quod celsitudinis Regiae immemores iura Regia surripitis, dum debita regalia denegatis. Certe ius priuatorum auferens, denegans vel non exequens, praedoni non absone perhibetur parilis; quanto amplius peculatus crimine censi potest notabilis Principis defraudans. Ac paucis omittis: Vos autem more surdae aspidis preces nostras huiusmodi non curastis admittere in elusionem et contemptum imperatorii culminis, nostraeque regiae dignitatis. Quapropter sine iuris iniuria in condescentis comminationis strepitu in eos possemus exardescere utique per vim repulsa cum inculpatae tutelae moderamine, ius, quod antiqua, et approbata consuetudo ad nos detulit, illibatum penitus conseruare. Atque vt appareat modus, quo collatores illo aeuo ad obsequium, precibus primariis praestandum, compelli consueuerint, ea insuper adiungo verba, quibus Epistola clauditur: Pro certo quidem credimus, et tenemus, quod in*

C 2

sui

Rectori in Gundelingen. Item ad Ecclesiam Pisanam pro Ozone de Werden pro Canonicatu et prebenda.  
y) Apud VGHHELLVM Italiae Sa-

crae Tom. V. p. 863. seq. edit. Venet. de anno MDCCXX; et ex eo apud SENKENBERG l. e. Ad. XVII.



*sui receptione magis providebitur ecclesiae, quam personae in praemis-  
sis taliter facientes, quod vos ad hoc faciendum per bonorum vestrorum  
arrestationem, ac per alia, quae circa praedicta expedire videbuntur  
arbitrari, et compellere non cogamur.*

## §. XIV.

*Sub Carolo IV.*

Quae vero exercitii iuris primariarum precum vestigia a Ludovico Bauaro praesertim relicta erant, ea Carolus IV., qui proxime successit, constantissimus quidem, at ita tamen secutus est, ut a tramite, quem Ludovicus aperuerat, interdum diuerteret, novaque vestigia, a suo olim successore secure et absque mole impedimentorum carpenda, imprimeret. Qui enim monumenta precum Ludovici cum literis precum Caroli IV., quarum haud exigua copia extat, oculo vel fugaci secum inuicem conferre voluerit, ei statim animaduertere licebit, Carolum Imperatorem non modo ea, quae e literis Ludovici in medium antea prolata sunt, obseruasse, verum etiam illud, quod fide Libelli precum primariarum fretus enarraui, vsu suo perpetuo comprobasse. Sed nec latere ipsum poterunt plura exercitii iuris primariarum precum, tam promoti quam limitibus circumscripti, indicia, quae in omnibus precum monumentis antiquioribus desiderantur. Ac quis est, qui similitudinem, inter formulas precum quarundam Ludovici et Caroli IV. intercedentem, non agnouerit, dum modo in Literis z), quas Carolus

z) Apud GOLDASTVM *Constitut.* VI. et SENKENBERG. c. I. Adj. XXIV.  
*Imperial.* Tom. I. p. 343. WÜRD-  
WEIN. *Subsid. Diplom.* Tom. II. n.

rolus ante solennem inaugurationem Romanam, anno nempe MCCCLIII dedit, haec legit: *Cum itaque nobis tam de iure quam antiqua et approbata consuetudine a diuis Romanorum Imperatoribus et Regibus praedecessoribus nostris haecenus obseruata competat, quod ex coronationis nostrae solemnibus ad Romanorum Regnum — — unam personam virtute primariorum precum nostrarum ad beneficium ecclesiasticum facere possimus promoueri, modo rursus in aliis Literis, a) quibus idem Carolus, posteaquam corona Imperiali Romae ornatus erat, preces ad Gerlacum, Archiepiscopum Moguntinam concessit, sub initium statim haec obuia habet: In basilica principis apostolorum in vrbe Sacro Sancti Romani Imperii sacris et auspice Deo felicibus infulis decorati iure, quod celebris memorie diuorum Romanorum Imperatorum et Regum, qui nos precesserunt feliciter Sacra obseruauit auctoritas ac nobis laudabili et approbata consuetudine competenti — — primarias Imperiales dirigimus preces? Etenim si cum his formulas precum Ludovicianas, ac eas potissimum Literas comparaueris, quas Imperator ille anno MCCCXXVIII dederat, b) facile intelliges, non ipsa tantum verba quodammodo congruere, sed aequo etiam studio ab utroque Imperatore diuersarum coronationum tempora dignosci. Quod autem Carolus morem istum, quem antecessor obseruauerat, imitatus est, id sane opinioni de diuersa Regis et Imperatoris Romanorum conditione atque auctoritate tribui posse videtur.*

C 3

hac

a) Vid. *Collectarius perpetuarum formarum* Iohannis de Geynhufen. n. I. apud IOH. WILH. HOFFMANNVM *Sammlung ungedruckter Nach-*

*richten.* Part II, p. 2. et exhibe apud SENKENBERG c. I, Ad. XVIII.

b) Particulam earum, in primis huc spectantem, habes supra §. XII. communicatam.

hac vnica causa persistere velimus, veram Caroli mentem assequamur. Quid enim, quando Carolus alio loco dicit: *Decernimus, quod Spirensis Ecclesia et eius antistites atque Capitulum, ad primarias preces Imperatorum, siue Regum Romanorum a sollempnitate coronationis ipsorum, Aquisgrani, mediolani siue Rome, nullam personam teneantur accipere nisi etc. c)* nonne ipse prodit, quod sibi ac successoribus suis preces primarias post singulas coronationes, ideoque triplici vice ad eosdem collatores dirigere liceat? Annon igitur fas est, vt eundem, mentis suae optimum interpretem, sequamur, verbisque illis, quibus coronationis suae, locis ac temporibus diuersis celebratae, rationem habuit, subesse credamus opinionem, quod ius primariorum precum Regiae et Imperiali dignitati separatim adhaereat? Quae quidem opinio, quamvis prorsus incertum sit, vtrum aevo recentiori originem suam debuerit, an vel ipsa ex antiqua consuetudine ab vna actate ad alteram propagata fuerit; illud saltem apparet, vix me temeritatis ob id amplius accusari posse, quod supra conlicere tentavi, Ludovicum Bauarum iam hanc eandem opinionem fouisse. Quo certiores autem Carolus IV de hac opinione nos reddidit, eo minus nos laet, ad quosnam collatores, ipso imperante, preces dirigi, et quaenam beneficia expeti consueverint. Etenim indicem collatorum atque Ecclesiarum satis amplum et accuratum Gerlacus, Archiepiscopus Moguntinus, exhibuit in diplomate, *d)* quo preces primarias nomine Caroli ad Monasterium Schmer-

*c)* Sunt verba Priuilegii, quod Carolus IV. Ecclesiae Spirensi indulsit, cuiusque diploma extat

apud SENKENBERG. l. c. Adi. XXX.

*d)* Apud WÜRDTEIN. l. c. Tom. II. n. IV.



Schmerlebacense dedit, contendens, ab eodem Imperatore sibi concessam esse facultatem exercendi ius precum Caesarearum per Dioecesin ac Prouinciam suam *in singulis tam Cathedralibus quam aliis Collegiatis et Conuentualibus Ecclesiis ac monasteriis utriusque sexus, nec non ad Prelatos et quascunque alias Ecclesiasticas personas tam seculares quam regulares, etiamsi pontificali, vel alia praesulgeant dignitate.* Sed ipse etiam Carolus modo eidem Gerlaco, e) aliisque pluribus collatoribus f) iniunxit, vt personis nominatis *de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura prouiderent, modo iterum alias personas ab aliis collatoribus inter monachos recipi iussit.* g) Ac quamquam nullae extant formulae precum, quas pro mare inter monachos recipiendo concesserit; hanc tamen potestatem sibi competere, affirmat: *Cum itaque, inquit, — — nobis — — competat in singulis tam virorum quam mulierum monasteriis quoruncunque ordinum, nostrae ditioni subiectis, singulas praesentare personas, eas in eisdem auctoritate primarum precum nostrarum recipi facere et admitti.* h) Quibuscum optime conueniunt verba, qui-

e) In diplomate supra §. ead. not. a. allegato.

f) Diplomata, quae huc pertinent, vid. apud MENCENIVM *Scriptor. Rev. Germ. praecipue Saxoniarum, ibique Diplomata, Abbatiam Chomburgens. prope Halam Saxonum suam concernentia* n. LX. Tom. I. p. 439. et apud EVNDEM l. c. ibique *Diplomasarium Caroli IV ex Cod. Chart. Bibl. Paul. Lips. descriptum.* n. I. Tom. III. p. 2009. nec non apud SENKENBERG. l. c. Adi. XXII. XXIV. et XXV.

g) Vid. diploma precum pro *Soffia Schirmer* ad Priorissam et Conuentum monialium in Hufstorf. dat. Dresdae MCCCXLVIII. in *Thuringia Sacra.* p. 382. et apud SENKENBERG. l. c. Adi. XXVI. Conf. etiam diploma precum Gerlaci, Archiepiscopi Moguntini, paulo ante not. d. laudatum.

h) Sunt verba diplomatis precum pro *Soffia Schirmer*, not. g. praecedent, commemorati.

quibus Imperator Praeposito Sufanensi inter alia permisit libertatem vice Caesarea nominandi personas, quascunque *in monachos et monachas et sorores recipi et admitti* veller. *i*) Imo adeo ne Ordinem quidem Cruciferorum, cui, quod equidem scio, nullus ante eum vel Rex vel Imperator Germaniae preces suas obtulerat, communi illa collatorum obligatione eximi, passus est; id quod Literae *k*) precum ipsius, ad *Commendatorem et Conuentum Cruciferorum de Domo Theutonica in Margborgh* pro nobili quodam, quem in numerum Cruciferorum cooptari, rogauit, Moguntiae datae, satis euincunt. Saepenumero autem euenit, vt preces eius contemnerentur. Quibus quidem vt collatores animum obtemperare compellerentur, plerasque precum suarum formulas clausula quadam, sub Ludovico, vt videtur, iam vsitata, *l*) instruxit, qua illis, si forte obedientiam detrectaturi sint, gratiae suae ac priuilegiorum iuriumque, ab antecessoribus impetratorum, iacturam comminatur. *m*) Sed eiusmodi minae quam parum profecerint, id plura com-

*i*) Literae concessionis extant apud MENCKEN, l. c. Tom. III. p. 2010. et apud SENKENBERG. l. c. Adi. XXVIII.

*k*) Apud MENCKEN. l. c. Tom. III. p. 2009. et SENKENBERG. l. c. Adi. XXVII.

*l*) Hanc enim intellexerim clausulam illam, cuius in *Libello primarium precum Ludovici* saepissime hanc in modum mentio iniicitur: *Item ad Ecclesiam S. Thome in Argentina pro Nycolao filio Planchlin eius Argentinensis pro prebenda et Canonicatu cum clausula. Item Abbatisse et Conuentui*

*in Rotenmunster Constant. Dioc. pro Sophya Alberti Furstonis filia pro prebenda cum clausula.*

*m*) in aliis precum formulis, vt in ea, quae a IOACH. IOH. MADERO ad calcem GERVASII TILBERIENSIS, ab ipso editi, sub n. XX. p. 112, et a SENKENBERG. l. c. Adi. XX. exhibetur, clausula, his verbis concepta, occurrit: *Quemadmodum iura, libertates et gratias, quibus Ecclesiam vestram diuorum Imperatorum insigniuit religio, custodiri diligitis; in aliis iterum, vt in formula precum ad Cruciferos de Domo Teutoni-*

comprobant literarum documenta, quibus Carolus partim Laicis, partim iterum Clericis precum suarum executionem mandauit. Sic executores constituit, e Clericis Episcopum quendam aduersus Abbatissam anonymam, *n*) e Laicis vero modo vnum, vt nobilem quendam aduersus Canonicos et Capitulum alicuius Ecclesiae, *o*) nec non Ducem Stetinensem, cui *Barnym* nomen fuit, contra Praepositum et conuentum Monasterii, ad Dioecesin Halberstadensem pertinentis, *p*) modo plures, vt Nobiles Vricum de PraunecK et Krafftonem de Hohenloh aduersus Abbatem et Conuentum Monasterii Camburgensis. *q*) Interdum executio precum Laicis atque Clericis simul ab Imperatore commissa est. Cuius rei exemplum insigne Literae *r*) suppeditant, quibus Episcopi atque Comites nonnulli iubentur procurare, vt Gerlacus, Archiepiscopus Moguntinus,

pre-

tonica apud MENCKEN, c. I. et SENKENBERG. c. I., paucis mutatis, haec reperitur: *Quod iura, libertates et gratias a diuis Imperatoribus seu Regibus Rom. predecessoribus nostris vobis et conuentui vestro hactenus datas et concessas nos delectet non minuere sed augere.*

*n*) Apud MADERVM l. c. sub. n. XXIII p. 115. et SENKENBERG. l. c. Adi. XXII.


*o*) Apud LEIBNITIVM *Codic. Iuris Gentium Diplomatic.* Part. I. p. 222; MADERVM. l. c. sub n. XXII. p. 115. et SENKENBERG. l. c. Adi. XXI.

*p*) Apud MENCKEN. l. c. Tom. III. p. 2009. et SENKENBERG. l. c. Adi. XXV.

*q*) Apud MENCKEN l. c. Tom. I. p. 439. Caeterum hinc probe refelli poterit sententia BRANDII, in *Diff. de iure Caesareo primarum precum* Cap. VIII. §. I. et II. existimantis, nullos ante Fridericum III. Imperatorem executores precum constitutos esse, quippe facultate eos constituendi primum a Nicolao V. Caesari data. Neque magis historiae conuenit opinio eiusdem BRANDII statuentis, quod eiusmodi executio nemini, nisi qui clericus ac dignitate ecclesiastica ornatus sit, mandari possit.

*r*) Apud HOFFMANNVM in *Sammlung ungedruckter Nachrichten*, Part. II. p. 3. et SENKENBERG. c. I. Adi. XIX.

D



precibus, quas, vt supra admonitum est, Imperator ad eum direxerat, morem gerere cogatur. Etenim definitur ibi ac praescribitur modus precum exequendarum, similis ei, quem iam Fridericus Austriacus praeceperat, vis nempe bonorumque occupatio, siquidem: *Committimus, ait, et, seriose precipiendo mandamus, quatenus vos vel vnus vestrum aut duo, prout requisiti fueritis super dictum Gerlacum etc. ad effectuale executionem preceptorum vel mandatorum huiusmodi — — per inuasionem rerum temporalium auctoritate nostra Imperiali arcere et compellere debeatis variis modis et remediis opportunis. s)*

§. XV.

Enimuero licet Carolus ius suum strenuus persequeretur, adeo, vt non solum ipse duodecima vice *t)* illud exerceret, sed, praeter Gerlacum, Archiepiscopum Moguntinum, cui more antecessorum suorum exercitium precum primariorum per Dioecesin atque Prouinciam Moguntinam sub primordium statim imperii sui permiserat, *u)* Wilhelmo quoque, Praeposito Sufanensi, Consiliario

et

*s)* Idem exequendi modus praecipitur in Literis executorialibus, §. praecedent. not. o. excitatis, vbi Nobilis D. Capitulum Ecclesiae anonymae, precibus et mandatis Imperatoris haud obediens, *per inuasionem temporalium rerum suarum firmiter coartare* iubetur, donec voluntati Caesaris animum obtemperaverit.

*z)* Praeterquam enim, quod ipsae formulae precum et Literae executoriales abunde euincunt, nouies a Ca-

rolo IV. preces primarias directas esse, GLAFEVVS etiam in *Anecdotis*. p. 389. ex *Diplomario Caroli* exhibuit Indiculum precum, quas idem Imperator Iohanni Clerico, nato Alberti, Notarii Secularis Iudicii Moguntinensis, ad tria Capitula anno MCCCLX concessit. Adiecit eum ex GLAFEYO SENKENBERGIVS Codici Probationum sub Adi. XXXIV.

*u)* Diploma quidem haudquam in lucem adhuc prodiit. Verum ipse Gerlacus exercitii precum  
Caes.

et Capellano suo, eandem potestatem in Ecclesiis ac Monasteriis Transrhenanis concederet; x) variis tamen passim collatoribus gratiam suam indulgit. Etenim priorum Imperatorum erga Ecclesias benignitatem atque indulgentiam imitatus, liberum a precibus, quas ipse forte in posterum dirigere intenderet, declaravit Monasterium Alspacense, Ordinis S. Clarae: *Idcirco*, inquit, *nos ex speciali nostre celsitudinis gratia omnibus vite nostrae diebus duntaxat acceptione personarum quarumcunque in dictum vestrum monasterium virtute primarum precum nostrarum duximus absolendas y)*. Eandem libertatem eodem anno MCCCXLIX, Monasterio S. Agnetis, in vrbe Monacham et sororem occasione primarum precum nostrarum recipiatis, *Devotioni vestrae Specialem damus praesentibus libertatem, prout huc usque concessum et obseruatum est a nostris praedecessoribus Diuae memoriae Imperatoribus et Regibus Romanorum. z)* Sed plenior postea libertatem Abbatissa atque Conuentus sibi arrogasse videntur, vel, quia gratia Imperatoris, sibi indulta, omnino acquiescere noluerunt, vel quod mentem Caroli male interpretati, monasteriumque precibus Imperialibus ad omne aeuum exemptum esse, opinati sunt. Hinc factum est, vt Carolus octo annis post vberius animum suum exponeret, ac libertatem illam ad dies vitae suae claris verbis

D z

restrui-


Caesarearum, a Carolo sibi mandati, testis est in literis precum primarum ad monasterium Schmerlebaense, apud WÜRDWEIN. I. c. Tom. II. n. IV.

x) Apud MENCEN, I. c. Tom.

III. p. 2010. et SENKENBERG. I. c. Adi. XXVIII.

y) Apud IO. DAN. SCHOEFFLNUM in *Alfaria Diplomatica*, Part. II. n. MXXXIV. p. 194.

z) Apud WÜRDWEIN, I. c. Tom. II. n. V.



restringeret; *Indulgemus*, quod hac vice duntaxat ad receptionem quarumcumque personarum debeatis minime teneri vel constringi occasione precum nostrarum Imperialium, si per inadvertentiam vel obliuionem quibusvis personis traditae sint vel concessae. Nolumus tamen per huiusmodi nostram gratiam seu indulgentiam, vobis, ut praescribitur, factam, nostris successoribus et Romano Imperio in suis iuribus et observatis consuetudinibus praerudicium aliquod generari. a) At immunitatem perpetuam, quam Carolus huic monasterio denegauerat, posthaec Abbatissa monasterii Pfullingensis ab ipso impetrauit, diplomate b) teste, quo Imperator eidem monasterio defensionem suam ac patrociniū promittit, atque deinde ita pergit: *vnd wir haben auch darzu yn von Kayserlicher Mechte die Besunder Gnad getan, vnd tun gegenwertiglichen, daz sie durch keinerlei vnser, odir yemans andirs Briefe, Bete, Gebott, Gewanck, odir ander Sachen, dheine Personen, wer di were in ir Closter empfahren odir nemen sullen noch desz pflichtig fürbassener ewiclichen, odir gebunden sein. Es geschee denne mit irer ganzen Samenungen, und Capitels Beratenem, vnd eintrachtigem guten willen.* Neque defuerunt monasteria, quae hac ipsa aetate a quibusuis precibus Caesareis immunia essent, hancque suam libertatem ex ipsa adeo antiqua consuetudine repeterent. Certe ipse Carolus eam tanquam idoneam libertatis causam agnoscit, dum in Charta de anno MCCCXLVIII. c) plura monasteria, Episcopo Argen-

a) Apud EVNDEM I. c. Tom. II. n. VII.

b) Vid. *Virginum Sacrarum Monumenta*, et ibi: *Documenta monasterii Pfullingensis*. n. XV. p. 352. Adiecta sunt monumenta ista operi: *Documenta rediuiua monasteriorum praeci-*

*piuorum in Ducatu Wirtenbergico sitorum.* Conferatur et SENKENBERG. I. c. Adi. XXIX.


c) Apud SCHOEFFLINVM in *Alfaria Diplomatica*. Part. II. n. MXXIII. p. 189. et apud WÜRDTEIN. I. c. Tom. XII. p. 113.

Argentinenſi ſubieſta, a precibus primariis immunita declarat, hancque ſefe gratiam Bertholdo, Epifcopo Argentinenſi, indulſiſſe, profitetur, daz wir in dieſen nachgeſchriben ſinen Klöſtern, die in geiſtlichen und weltlichen Sachen unter yme ſint, dez ſint Ebersheim münſter, Altdorf, Sanct Arbogast, itenwiler, drutenhuffen, zu der obern ſteygen, zer ſteygen zu zabern, und die Cloſſe dabi. item zu allen Heiligen über Ryn, item die frouenclöſter zu Sanct Stephan, ze eſchouwe, und zu Sanct Iohaſe, enkeine erſte bette wellent noch ſullent haben, wenne es von den clöſter von alter har nicht alſo kummen iſt, und widerruffen was gnaden wir dawider jeman getan hant, wenne wir nicht wüſſent, das ſie yme alſo zugehörent. Quod vero Eccleſias et Capitula attinet, nullam quidem earum tanto amplexus eſt fauore, ut ſe iure precum primiarum in gratiam ipſius abdicaret; at id tamen ipſi curae fuit, ut ne ſplendor Eccleſiae, cuius fortaſſe haud omni tempore iuſta ratio habita fuerat, e precibus illis detrimenti quid caperet. Super eſt enim Priuilegium d), Eccleſiae Spirenſi anno MCCCLXII. conceſſum, quo Carolus ſancit: *Quod praefata ſpirenſis Eccleſia, et eius antiſtites atque Capitulum ad primarias preces — — nullam perſonam teneantur accipere niſi nobilem ac libere Conditionis, ab utroque parente.* Quodeunque autem beneficium, ſiue cum cura animarum coniunctum, ſiue ea deſtitutum eſſet, virtute precum primiarum ab vilo alioque collatore conferendum eſſet, id velletne precifa ipſe, an ope procuratoris idonei, quamprimum vacauerat, acceptare, perinde habebatur. Imo ipſis adeo formulis

D 3

pre-

d) Cuius exemplar L. B. DE SENKENBERG filius, ab amico ſe-  
tionum paterno addidit ſub Adf.  
XXX.  
eum communicatum, Codici Proba-



precum duplex illa beneficii acceptandi ratio sub Carolo inferi coepit *e*); incertum plane, num acceptatio, adhibito procuratore, antea vsu caruerit, an vtriusque acceptandi rationis mentio, in formulis Carolinis obuia, prouidae cautaeque menti eorum, qui istas conceperant, verius tribuatur. Nec minus ambigitur, vtrum illa, quae de effectu precum primariarum pro praebenda et alibi *f*) passim, et in Literis, *g*) quibus Nobili D. executio precum directarum mandatur, iisdem vere verbis ita expressa reperiuntur: *hortantes, ut (precistam) in Canonicum recipiant et confratrem, stallum sibi in choro et loco in capitulo, cum plenitudine iuris canonici aut praebendae — cum iuribus et pertinentiis vniuersis conferre et assignare curarent*; ex vsu antiquiore in formulas Carolinas influxerint, an exercitio demum iuris primariarum precum, quod sub Carolo IV. obtinuit, debeantur. *h*) Praeterquam vero, quod Imperator exercitii istius manifestissima edidit documenta, plures extiterunt viri docti, qui contenderent, de hoc ipso iure eiusque exercitio in celeberrima etiam Aurea Bulla, sub eiusdem Imperatoris auspiciis condita, sancitum esse. Cum enim  
ibi-

*e*) Vid. apud MENCEN. l. c. Tom. I. p. 439. WÜRDWEIN. l. c. Tom. II. n. VI. nec non SENKENBERG. l. c. Adi. XVIII. XX. XXII.

*f*) Apud SENKENBERG. l. c. Adi. XX. et XXIII.

*g*) Ibidem Adi. XXI.

*h*) At quomodocumque sese res habeat, haud parum tamen nocet sententiae BRANDII, aliquoties iam nominati, qui in Diss. *de iure Caesareo primariarum precum* Cap. V. §. X. precistas ab aditu Capituli, et emo-

lumentis ideo excludi debere contendit, quod verba illa, quibus collatores precistae stallum in choro et locum in capitulo cum plenitudine iuris canonici et fructuum perceptione assignare in formulis precum recentioribus iubentur, a nemine antecessorum Sigismundi Imperatoris literis precum primariarum inserta fuerint, sed post illum demum ex Indultis Pontificum Romanorum in formulas precum Caesarearum translata sint,



ibidem i) Vicariis Imperii, praeter alia iura, insuper *potestas ad beneficia ecclesiastica praesentandi* concessa fuerit, ea GRIBNERO, k) multisque, quos excitat, interpretibus haud alia visa est, quam quae virtute iuris precum primariarum exerceretur. Sed nec defuerunt, qui verba illa vel de iure patronatus, vel de praesentatione ad praebendas laicas, quae literis alimentariis fieri solebat, explicare malent, ideoque, ex Aurea Bulla exercitium iuris precum Imperialium Vicariis Imperii vindicari posse, prorsus negarent. Atque hanc posteriorem sententiam e recentioribus SCHILTERVS, l) BOEHMERVS m) et PETRVS AB ICKSTATT n) fouerunt. Enimvero totam hanc controuersiam, quippe ab instituto alienam, vltius persequi nolo, sed suo tempore discutiendam merito referuo.

§. XVI.

*Sub Wenceslao et Ruperto.*

Caroli filium, Wenceslaum, quod attinet, literae precum, quas ipse quidem direxerit, nullae innotuerunt. Sed quamuis rebus Germanicis tanta incuria praefuisse perhibeatur, vt, quicquid oneris et molestiae regimini adhaereret, id sensum humeris suis excusserit, atque propterea ipsa adeo Regis Romanorum dignitate exutus fuerit; minime tamen ei adstipulari ausim, qui Wenceslaum  
vfu

i) Vid. *Aurea Bulla*, Cap. V. apud GOLDASTVM. *Constitution. Imperial.* Tom. I. p. 357.

k) In *Diff. de precibus primariis Vicariorum Imperii*. §. IX.

l) IO. SCHILTERVS in *Diff. de Vicariis Imperii Romano-Germanici*,

quam GRIBNERVS I. c. laudauit. Mihi enim, omni licet opera data, libellum hunc inspiciere nondum licuit.

m) In *Iur. Ecclesiast. Proz.* Lib. III. Tit. V. §. CVII. Tom. II. p. 347.

n) In *Diff. de Caesareo prim. precum iure*. §. XLII.

usu iuris illius Caesarei proprio penitus dicat abstinuisse. Nam si vel maxime ius istud, quod Carolus pater, et, qui eum antecesserant, Imperatores, tanquam praerogatiuam ac decus suae dignitatis fouerant, contemserit, quidni interdum eueniret, ut vitro precibus adiretur, atque saltem imploratus preces primarias concederet? Ac si diploma de anno MCCCLXXX o), quo Wenceslaus, principibus tamen et aliis antea consultis, Claustrum Francofurthense a precibus primariis ad omne aeuum his verbis immune declarauit: *haben wir mit Rate unser Fürsten, Herrn und getruwen, und mit rechter wissen dieselben Meysterin, Priorissin Conuent und auch das Closter Sant Katherinen zu Franckenford, gefreyet und ausgenommen von der ersten Bete — — und freyen und usnemen sie für Uns und unser Nachkommen an dem Reiche, Romische Kunige und Keyseren, in Crafft, ditz Briefes und Romischer Kunighlicher Machte Vollkommenheit*, attenderis; ipsum recte quidem liberalem, ac facilem iuris antiqui vindicem appellaueris. Verum multum absuit, ut hanc praerogatiuam contemtu haberet, nec vnquam iure suo vteretur. Neminem enim facile latebit diploma, p) inter eiusdem iuris interpretes celebratissimum, quo Wenceslaus eodem anno, quo Rex Romanorum electus fuerat, die coronationis, preces, suo nomine intra Dioeceses Wormatiensem et Spirenses exercendas, Ruperto, Comiti Palatino, commisit. Ac multa sane diplomati huic insunt, ob quae virorum doctorum sedula manu versari merebatur.

o) Apud SENKENBERG, *Select. Iuris et Historiarum*. Tom. I. ibique *Diplomatarium Claustrum D. Catharinae*. n. XVIII. pag. 155.

p) Apud GOLDASTVM, *Constitut. Imperial.* Tom. I. p. 375.; nec non WÜRDWEIN. l. c. Tom. II. n. IX. et SENKENBERG. l. c. Adi. XXXV.

batur. Sed quoniam id ipsum alibi denuo pertractandum erit, ea  
 tantum, quae ad rem faciunt, leuiter hic attigisse sufficiat. Pri-  
 mus namque Wenceslaus fuit, qui exercitium precum Caesararum  
 laicae personae, Comiti scilicet Palatino, mandaret, sibi que earun-  
 dem ad singulos collatores bina vice, dum regeret, dirigendarum  
 potestatem, quam Ludovicus Bauarus et Carolus pater sibi asseruisse  
 videbantur, clara voce vindicaret: *Concedimus*, inquit, *per prae-*  
*sentes, quod tu omnes primarias preces ratione nostrae coronationis in*  
*Romanum Regem — per ciuitatem et dioecesim spirensis et Worma-*  
*tiensem — porrigere valeas et debeas in singulis tam Cathedralibus*  
*quam collegiatis et conuentualibus ecclesiis et monasteriis utriusque sexus*  
*tam secularium quam regularium personarum, nec non ad praelatos et*  
*alias personas ecclesiasticas quascunque etiam si Pontificali vel alia prae-*  
*fulgeant dignitate. — — Et si diuina nobis suffragante gratia ad*  
*apicem Imperialis culminis fuerimus sublimati, volumus et concedimus,*  
*quod tu preces primarias ratione susceptionis Imperialis coronationis no-*  
*bis competentes etiam porrigere valeas et debeas in singulis ecclesiis Ca-*  
*thedralibus et Collegiatis et monasteriis et apud Praelatos et quascun-*  
*que alias personas ecclesiasticas seculares et regulares diocesarum ciuitatum*  
*et dioecesum omni modo, forma et iure, sicut de primariis precibus*  
*ratione regiae coronationis nostrae superius est expressum. Ne-*  
*que a via deflexisse videtur, qua antecessores efficere studuerant,*  
*vt preces primariae robur et vires obtinerent. Praecepit enim*  
*Ruperto, vt non modo singulis collatoribus, ad quos preces datu-*  
*rus esset, iacturam priuilegiorum, iurium, gratiarum atque liber-*  
*tatum, quas ab Imperatoribus vel Regibus pristinis acceptas tulif-*  
*sent, tanquam inobedientiae poenam comminaretur, sed vel ipse*

E

etiam,

etiam, vel per alium precistis consueta collatorum coercitione succurreret. Eundem vero Rupertum postea, quam in vicem Wenceslai successerat, saepius iure precum primariarum usum esse, cum ex indice, cuius particula, nescio unde, a SCHMIDTIO q) in publicum edita est, tum e diplomate, quod DE GVDENVVS r) luci restituit, aliisque documentis adparet. Ac ipsum diploma precum, quas Rupertus pro Gotfrido Suren, Presbytero, ad monasterium S. Albani, extra muros Moguntinos situm, anno MCCCCI direxit, simillimum est formulis precum Ludovici Bauari et Caroli IV. Quin ne minimum quidem, quod inter eas intercedat, discrimen detegere valebis, siue ad collatores et beneficia, siue animum aduertas ad causas et tempora exercitii precum primariarum; quorum quidem posteriora in formula Ruperti his indicata videmus: *Sicut de iure et consuetudine approbata sacri Romani Regni hactenus extitit obseruatum, quod Romanorum Reges, sacris coronis regiiis receptis, ex Coronationis eorum sollempniis — super vnius idonee Personae petere habeant prouisione.* Sed ab omnibus tamen formulis, quas adhuc tractare licuit, quoad vnum saltem momentum paullulum recedit. Cum enim beneficia ecclesiastica, quorum prouisio a plurium collatorum consensu suspensa fuerat, in aliis Ecclesiis a toto collegio, in aliis iterum, quarum e numero est Ecclesia Moguntina, s) a singulis

q) In *Geschichte der Deutschen*. Part. IV. Lib. VII. cap. XLVI. p. 600, not. 1.

r) In *Codic. Diplomatic.* Tom. IV. p. 1. unde recepit WÜRDTEIN.

l. c. Tom. II. n. X. et SENKENBERG. l. c. Adi. XXXVI.

s) Discimus id ex *Ordinatione Capiruli Moguntini circa nominationes ad praebendas apud WÜRDTEIN.* l. c. Tom. XII. p. 114.

gulis membris, tanquam, ut vocantur, Turnariis, vel ab vno altero duntaxat, Seniore aut Decanis, conferri solerent; quid mirum, si preces, ad eiusmodi Ecclesiam totumque collegium datae, interdum euentum suum haud fortirentur? Praetendi quippe poterat, quod beneficiorum collatio non ab integro collegio, veluti Capitulo, ad quod preces concessae fuerint, sed ab arbitrio singulorum penderet, quibus a Capitulo absque iniuria haud iniungi posset, ut iure suo in fauorem precistae Caesarei abstinere. Ne igitur collatoribus huiusmodi excusationum copia relinqueretur, literae precum, quae ad plures collatores dabantur, ita paulatim concipi coeptae sunt, ut collatores precistis de beneficio vacante vel vacaturo, siue hoc *coniunctim* siue *diuisim* conferre consuescerent, providere iuberentur. Atque hinc est, quod auctor formulae Rupertinae verba illa caetelae gratia addiderit, scribens: *Vos* (Abbatem et Conuentum monasterii) *requirentes, quatenus predicto Gotfrido beneficium cum Cura vel sine Cura, communiter vel diuisim ad vestram pertinens collationem conferatis.* Nec vero a spiritu et auctoritate minaci, quam literae precum Friderici praesertim Austriaci, Ludovici Bauari atque Caroli IV. prae se ferebant, assimilis est lenitas et tranquillitas, quae toti formulae Ruperti affusa animaduertitur. Quae si vnicum precum, a Ruperto directarum, monumentum esset, difficile sane diiudicatu foret, cuius potissimum causae, paci et concordiae Imperii cum Ecclesia intimae, indeque enatae collatorum facilitati, an indoli potius mansuetae, vel virium imbecillitati, animoque timido Ruperti, lenitatem illam verborum attribui oporteret. Enimuero insignem ista rerum facies haud multo post subiit mutationem. Fuerant scilicet aliae quoque literae precum ab eodem



Imperatore pro *Iacobo Heymirsheym de Altzeia* ad Capitulum Francofurthenſis Eccleſiae S. Bartholomaei datae. Quod, licet admiffionem preciftae haud vtique detrecaffet, eam tamen obedientiae ſuae legem ſibi praefcripferat, vt procuratori preciftae praebendam vacantem, de qua inter eum et Petrum Ingelnheim litigabatur, qui ſimiles a Pontifice Romano gratias obtinuerat, addicere pollet, niſi, pro more ac ſtatutis eiusdem Eccleſiae, octodecim florenos auri pignoris loco ſoluiffet, eosque Capituli nomine recipiendos aſſignaffet. Huic legi cum procurator neuitquam ſatisfaceret, ſed pecuniam apud Canonicos Eccleſiae Montis S. Mariae, quae et ipſa erat Eccleſia ciuitatis Francofurthenſis, deponendam offerret; ipſe cauſa cadebat, eiusque aduerſarius, qui totidem florenos abſque mora praefliterat, a Capitulo, minis Papalibus perterritus, inter Canonicos recipiebatur. *t*) Quibus cognitis, Rupertus inobedientiam vlturus, Capitulum omnibus priuilegiis ac bonis, quae ab Imperatoribus hucusque ei condonata fuerant, priuauit, ſententiamque, inter alia his verbis conceptam: *Umbe deswillen, das ſie uns und dem Riche alſo ungehorſam worden — und unſer kuniglichen Brieffe und uns verſchmehet haben — und den obgenannten Iacobum unſern Schreiber zu der vorgeannten Pfrunden nit wollen laſſen kommen, ſo haben wir mit wolbedachtem mute, rechter wiſſen Rate unſers Rates Fürſten und Getrewen den obgenannten Dechan und Capittel alle ire Freiheit, Zehende und Gute, die ſie von uns und dem Riche haben ſollten,*  
*gentz-*

r) Iplae literae precum cum orbe litterarum nondum communicatae ſunt. Preces autem directas eſſe, e ſcriptura diſcimus, ſuper hoc ipſo

proceſſu a notario coram Capitulo anno MCCCCII. concepta; quam exhibuit WÜRD TWEIN. l. c. Tom. XII, p. 120.

lich vernichtet, und genommen, vernichten und nemen yn die auch in  
 Crafft dieß Briefs und romischer, kuniglichen Mechte Vollkommen-  
 heit, u) Comiti Prouinciali Wetterauiae exequendam com-  
 misit.

§. XVII.

*Sub Sigismundo.*

Quo crebriorem precum dirigendarum occasionem Sigis-  
 mundus intra spatium octo circiter et viginti annorum, per quos  
 Germaniae imperauit, nancisci potuit, eo magis mirari licet, quod  
 nemo virorum, quos constat antiquis litterarum monumentis, cu-  
 iusuis generis ea essent, vndiquaque eruendis colligendisque solli-  
 citos fuisse, formularum precum Sigismundi vel vllam reperire po-  
 tuerit. Etenim ius istud ab eodem reuera obseruatum esse, ex ipsis  
 adeo Literis x) elucet, quibus Sigismundus primarias preces, ad  
 Abbatem et Conuentum monasterii S. Vlrici Augustam Vindelico-  
 rum a se directas, septimo imperii sui anno ea mente reuocauit,  
 vt conuentui parceretur, quem ob penuriam facultatum, qua de-  
 primeretur, de nimio precum Caesarearum onere vehementer con-  
 questum esse, cognouerat. Sed ad alios etiam passim collatores pro-  
 spero successu ab eo preces primariae datae sunt; in quam rem lucu-  
 lentissimus testis est GOBELINVS PERSONA, Decanus Bileueldensis


E 3

et

u) Vid. SCHILTERVS in Diff.  
 de Vicariis Imperii §. XI. et conse-  
 cratur SCHMIDTIVS l. c. p. 602.

x) Apud LVNIGIVM in Spicileg.

*Ecclesiastica, des Teutschen Reichs- Ar-  
 chiv.* Part. III. p. 661. vnde rece-  
 pit SENKENBERG l. c. sub Adi.  
 XXXVI. b.



et Sigismundo coaeuus, qui in *Cosmodromio* suo de hoc Imperatore inter alia et haec refert: *Postquam Iohannes (huius nominis vicesimus tertius) depositus fuit de Papatu, Rex dedit gratias ad beneficia ecclesiastica expectandas, eo sub colore, quod ipse de consuetudine antiqua haberet primarias preces in qualibet collatione beneficiorum ad ecclesiasticas personas spectante. Et licet consuetudo illa in memoria hominum in Alemannia bassa non fuit, plures tamen clerici eo modo beneficia fuerunt affecti. y)* Quemadmodum autem studia, quibus Imperatores iuris huius exercitium adhuc amplexos esse cognouimus, saepius ad irritum ceciderant; ita nec Sigismundo, prouti ipse confessus est, z) preces primariae omnes feliciter cessere. Cuius rei causam si a pristina illa inprimis arcessi velis collatorum contumacia, cuius origines industriae atque solerti vigilantiae debebantur, quae iam antiquitus iura sua circa prouisionem et collationem beneficiorum integra sibi seruare connixi fuerant; neuiquam a tramite veri aberrare videberis. Enimuero ipse forte Sigismundus precibus suis nocuit, dum vel aliis collatoribus, quippe supplicibus, veniam et a precibus, ad ipsos directis, libertatem indulgeret, vel contra alios, qui ipsi haud supplicauerant, ius suum vi persequi nolleret. Neque sane Imperatori hanc suam erga collatores indulgentiam vitio quisquam verteret, modo ne conditionem Ecclesiarum atque collarorum, illa aetate infauissimam, penitus ignoret. Constat scilicet, id olim moris fuisse, vt Pontifices Romani personas, quibus praecipue

y) *Cosmodromii* Aetat. VI. cap. XCIV. sub finem, apud MEIBOMIUM *Scriptor. Rerum Germanic.* Tom. I. p. 341.

z) Hoc colligere licet e Decreto Concilii Basileensis, cuius mox mentio iniicietur.



cipue faebant, 'Ecclesiis commendarent, 'rogarentque' collatores, vt iisdem de certis beneficiis ecclesiasticis prouiderent. sed, precibus sensim in mandata abeuntibus, potestas ipsorum circa beneficia eorumque prouisionem a paruis illis initiis in tantum per varia secula excreuerat, vt per omnes vbique terrarum Germanicarum Ecclesias acerbissimae querelae vno quasi ore effunderentur, malorumque tantorum medicinae communi ardore efflagitarentur. Nulla plane Ecclesia extabat, cui non a singulis Pontificibus homines obruderentur, quibus vel reseruatum vel expectatiuarum nomine beneficia vacantia conferrentur. Ac tanta horum plerumque copia erat, vt, si de toto numero beneficiorum, quorum collatio penes Capitulum vel Collegium erat, demerentur, huic vix tertia aut ad summum dimidia pars superesset, quam pro arbitrio suo dispensare valeret. Quodsi igitur eueniret, vt huiusmodi collatores aut nullum precibus Caesareis locum relinquerent, aut, his admissis, precistas hominibus, quos Pontifex gratis suis exstructos obrulerat, metu suspensionis, vel excommunicationis, vel interdicti, postponerent; negligentia certe, aut contemptus iuris sui haud merito exprobrari posse videbatur Imperatoribus, qui illis interdum ignoscere quam contumaciae poenam infligere mallerent. Quin potius isti, tristem rerum ecclesiasticarum conditionem paulo attentius apud animum perpendentes, dubii euaderent, necesse erat, vtrum collatoribus, qui precibus morem non gerebant, an Romano magis Pontifici, grauissimorum impedimentorum auctori, succenserent. Quae cum ita essent, Sigismundus iuri precum primariarum vix alia ratione melius consuli posse rebatur, quam si impedimenta, quae a Praesulibus Ecclesiae Romanae obstrui probe sciebat, quantum fieri posset, remouerentur,

rur, collatoribusque, omni antea excusationum effugio praecluso, ab vniuersa Ecclesia precum Caesarearum admissio executioque iniungeretur. Fuerat autem Ecclesia iam sub initium imperii eius ad Concilium apud Constantiam hunc in finem congregata, vt partim discordias, quibus Ecclesiae Europae, tribus simul Pontificibus obediens, discindebantur, extingueret, partim nimiam Pontificum circa beneficia ecclesiastica potestatem atque licentiam tolleret, aut iustioribus saltem limitibus circumscriberet. Verum, concordia restituta, Martinus V., qui in locum trium Papparum successerat, Concilium dissoluit, spemque salutis Ecclesiarum vltius promouendae fefellit. Denuo igitur posthaec Ecclesia sub eodem Sigismundo ad Basileam conuocata est, vt morbis ecclesiasticis, quibus a Concilio Constantiensi nulla adhibita fuerat medela, prouida sua cura mederetur. Enimuero cum Sigismundus, libertatem Ecclesiarum Germanicarum ab hoc quoque Concilio frustra tentari, sentiret, precibus tandem id adiit, vt iuri tamen precum primariorum ipsius auctoritate prospiceretur. Neque votorum suorum expers remansit. Decreuit enim Concilium, vt et ipse Sigismundus, et, qui olim ad Imperii fastigium ascensuri essent, per omnes Germaniae Ecclesias iure precum primariorum libere vti valerent, neque cuiuscunque generis gratiae Papales impedimento amplius essent, quominus precistae Imperiales beneficium expetitur, quamprimum vacaret, assequerentur. Ac si nihilominus collatores in posterum precibus illis contumaces restiterint, per executores, ecclesiastica adhibita censura, ad obedientiam compelli voluit; modo ne vel preces ad collatores directae fuerint, quibus non nisi de quinque beneficiis disponere liceat, vel precistae, gradu carentes,

ad

ad eiusmodi beneficia curata adspirauerint, quae ultra tria millia Christianorum, sacra Eucharistiae communicantium, complectantur. a)

Sed

a) Ipsum Decretum Concilii Bafileensis, anno MCCCCXXXVII. datum, extat apud LÜNIGVM in *Spicilegio Ecclesiastico des Teutschen Reichs Archieus.* Part. I. p. 277. seqq. nec non apud WÜRDTEVIN. l. c. Tom. II. n. XI. et SENKENBERG. l. c. Adi. XXXVII. Verba autem, quae maxime huc spectant, sunt haec: Nos igitur — postulationibus suis fauorabiliter inclinari volumus et auctoritate vniuersalis ecclesiae ordinamus, quod ex nunc Caesarea Maiestas tua, semel tantum, quoad vixerit, nec non singuli alii Romani Reges et Imperatores, qui ex nunc in antea fuerint, canonicè tamen intrantes privilegio et consuetudine Imperiali huiusmodi quoad preces sine nominationes faciendas perpetuis futuris temporibus libere et plenarie vti et gaudere possint et valeant, ita videlicet, quod singuli Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, et cuiuscunque status praeeminentiae vel dignitatis collatores et collatrices, nec non collegia, Capitula et conuentus ecclesiarum et monasteriorum quorumcunque sub dirione ipsius imperii vbi-ber constitui, quascunque personas bene meritas maxime in sacra pagina magistros vel baccalaureos seu in altero iurium graduatos aut in medicina vel artibus etiam magistros seu alias, per executores pro tempore ad hoc deputatos examinandas, et iuxta beneficiorum, ad quae pro iisdem personis nominationes fiunt, aut preces dirigen-

tar, qualitatè idoneas et sufficientes reperas, etiam vnum duo vel plura beneficium seu beneficia ecclesiasticum seu ecclesiastica quacunque obtinentes vel expectantes, quamlibet videlicet personarum, pro quibus preces aut nominationes ipsae pro tempore factae fuerint, ut praefertur, in singulis ecclesiarum, collegiorum, conuentuum et collationum huiusmodi ad vnicum beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, etiamsi canonicatus vel praebenda in Cathedrali etiam Metropoli. vel collegiata ecclesia fuerit, si quod tunc vel postea vacauerit, et quod quaelibet eorundem personarum iuxta litterarum pro ea pro tempore scriptarum formam infra vnius mensis spatium ad capiendum duxerit, et de quo et per executores suarum litterarum vel ab eis subexecutores pro tempore deputatos prouisum fuerit, prout ad singulos eorundem Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, collatorum, collatricum, Capitulorum, Collegiorum et conuentuum communiter vel diuisim peruenierit, recipere et admittere, quos etiam singulos per eosdem executores et subexecutores ad id faciendum per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compelli et infringi volumus, sine difficultate vel contradictione quibuslibet debeant et teneantur, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, — aut si aliqui super prouisionibus sibi faciendis, — generales vel speciales dictae sedis vel le-

F.

gato-

Sed quantuscunque fauor erat, quem Patres Concilii erga Sigismundum hocce decreto declarabant, ille tamen, quippe morte nimis matura praeuentus, aut nullos aut exiguos saltem exinde fructus percepit. Vtrum ex eo ad successorem, Albertum II. vtilitatis quidquam redundauerit, id, nusquam precum ipsius mentione iniecta, toti nescimus. Num denique Friderico III, et reliquis Imperatoribus decretum vsui omnino fuerit; hoc, et quae praeterea supersunt, alio tempore vberius enarrabuntur.

gatorum eius liceras impetraverint —  
— (his) personas, pro quibus preces  
vel nominationes huiusmodi pro tempore dari contigerit, si preces vel nominationes praefatae antedictis ordinariis vel collatoribus, priusquam eis de acceptatione, nec non prouisione, si quas obrentu gratiarum expectatiuarum huiusmodi fieri contigerit, legitime confiterit, ipsis publicatae et innotatae extiterint, in asscurione beneficiorum huiusmodi volumus anreferri. Et sub finem: Volumus autem, quod preces siue nominationes huiusmodi pro tali-


bus porrigantur, seu fiant personis, quarum qualitas ecclesiarum, ad quas diriguntur seu fiunt, statuis et consuetudinibus non repugnet, quodque pro simplicibus non graduatis concedendae preces seu nominationes huiusmodi ad curata beneficia ultra tria millia communicantium habentia se non extendant, et quod collatores et collatrices ultra quinque beneficia ecclesiastica conferre, aut de eis disponere non habentes cum precibus seu nominationibus huiusmodi, nisi vironi voluerint, non ardeantur.

VD 18

ULB Halle  
005 475 171

3





1789, 16.

SVPER

IVRE PRIMARIARVM PRECVM  
EIVSQUE EXERCITIO 967

SPECIMEN SECVNDVM

QVOD

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRO SVMMIS

IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

OBTINENDIS

A. D. VII. MAII. A. C. MDCCCLXXXIX.

H. L. Q. C.

DEFENDET

IOHANNES GODOFREDVS MVELLER

ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER ET IVRIS  
VTRIVSQUE BACCALAVREVS

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

*Handwritten text on the book's spine, including 'II. 1789' and 'de iure primar. prec. 967'.*

